
IO. ANTONII VIPERANI

DE SCRIBENDIS VIRORVM ILLVSTRIVM VITIS.

SERMO.






PERVSIAE, Apud Valentem Panitium Mantuanum, Illustriss. & Reuerendiss. FVLVII CORNEI S.R.E. Cardin. atque Illustr. X. virùm, & Eccell. Collegij V.I. Impressorem. M D LXX.



DIDACO VARGAS
REGIS PHILIPPI
A SECRETIS.



Io: Antonius Viperanus.




N lente vnguentum ſatis eſt tritum communi ſermone prouerbium, in eos dici ſolitum, qui magnificis verbis in re minima vtuntur. Idem mihi obijceretur, ſi de ſcribendis virorum illuſtrium vitis ſermonem ampla oratione tuo nomini dedicarem: quod & antiqua nobilitate clarum, & egregia

dignitate celebre, & maximis virtutibus illustre est, mihi ob accepta beneficia singulari beneuolentia toto vitæ meæ tempore colendum. Tamen humanitatem tuam oro, vt, qualecunque sit, paruum hoc munus æquo animo accipias: in quo & meam in te obseruãtiam, & tuum in literatos viros studium libenter agnoscas.

IO. ANTONII
VIPERANI

DE SCRIBENDIS VIRORVM ILLVSTRIVM VITIS.



SERMO.



ERCVRIVM illum eloquentiæ parentem nuntiumque Deorum Auditores quadrato ſaxo inſidere non abs re commenti ſunt poëtæ humanarum actionum & vitæ magiſtri; quod ſtabilis & firma ſit bonarum artium poſſeſsio: quam nulla temporum iniquitas violare, nulla fortunæ temeritas imminuere poteſt,

potest, sed suo ipsa sinu custodit, atque intuetur æternitas. Verum inter cetera doctrinarum genera historicorum præcipue studium & poëtarum mihi diuinum, & admirabile videtur: qui cœlesti quadam vi clarorum hominum res gestas ab obliuione, & uetustatis iniuria vindicant, simulque in omnium gentium memoriam disseminant; quæ paruis alioquin cancellis angustæ alicuius regionis, aut vrbis modica cum laude circumscriptæ iacerent. Idcirco eos Plato plurimi faciendos existimat; quoniam illorum vis in vtramque partem, & ad laudandum, & ad vituperandum maxima est. Nemo est autem mortalium, qui non aliqua laudis, & gloriæ cupiditate capiatur. Quamobrem hodierno die, quando pro academiæ nostræ instituto disserendi prouinciam ab optimo nostro principe demandatam mihi recusare non licuit, mecum animo proposueram de histo-

rico-

ricorum & poëtarum laudibus dicere; sed veritus ne rem vulgarem, & peruagatam agerem, viderer'q; (quod aiunt) soli lumen afferre, mentem ad aliam disputationem conuerti; quæ tum rei nouitate placeret, tum doctrinæ ratione iuuaret. Quis enim vestrum ignorat, quod vniuersæ res perpetuis tenebris occultarentur, atq; eadem nox cum malis bonos, & cum fortibus ignauos opprimeret, nisi excellentium virorum ingenium, & literarum splendor accederet? Quod autem dicere cogitaui est perbreui sermone scribendarum virorum Illustrium vitarum rationem quandam artemq; complecti: vt non tantum quid scriptori præstandum, verumetiam quo sit ille studio legendus intelligatis. quæ quidem lectione non modo nihil iucundius, sed quoque principi viro nihil esse potest vtilius: cum certis vitæ exemplis ad virtutem informetur, et tanquam stimulis ad magna-

gnarum rerum imitationem, & gloriam accendatur. Non aliter Carolum V. Imp. Cæsaris æmulatio, Cæsarem Alexandri, Alexandrum Achillis ad res magnas, & præclaras inflammauit. Nec res quidem explicatu facilis est. nam & acri iudicio, & multa ac varia doctrinarum cognitione eget. Est profecto sua cuiusque operis perfectio, & ijs solum nota pulchritudo, qui in ea se arte exercuerunt: ac quemadmodum in picturis, quid probandum sit, nisi pingendi periti non uident sic recta scribendi ratio, nisi à doctissimis, & prudentissimis viris percipi non potest. quin imperiti sæpe laudant ea, quæ reprehendenda sunt, ac contra, quæ laudanda sunt, reprehendunt. Cum igitur vestra hæc animi attentio beneuolentiam mihi polliceatur, fidenter in eam, quam proposui, disputationem ingrediar. Vita non tantum naturæ munus, quo vescimur aura (vt poëta loquitur) ætheria,

sed

sed viuendi quoque rationem significat; humanarum inquam actionum modum & formam; quam videlicet mores, hoc est, animi affectiones qualitatesue describunt. Hanc scriptor debet exprimere, vt afferat vtilitatem historiæ. Sane quę hominis propriæ sunt actiones, non cum alijs communes, eæ humanæ vocantur. sunt autem, quæ ab appetitu, & ratione proficiscuntur. Siquidem intelligere peculiare magis est diuinorũ spirituum, & brutorum animantium sentire: at homo, qui vtriusque naturæ particeps est, duobus principijs ad agẽdũ mouetur, ratione, & appetitu. quæ actiones cũ volũtariæ sint, & humani animi iuris, merito humanæ dicuntur. Itaque vita, vt apud grecos etiam βίος cum viuendi rationem notet, quam liber & nullius dominationi subiectus animus instituit, rectius hominum victũ, sicut in Aristotelis secundo Physicorum libro eruditi viri obser

uiuerunt , quam bestiarum significat : quæ quod agunt, non ex se agunt, sed naturæ ui, atque instinctu : quanquam in illis morum
De Hist. animal li.8.c.1. *quædam uestigia tradit Aristoteles apparere metus, ignauiæ, fortitudinis, iræ, & quæ ab homine dicta est humanitatis. Quamobrem qui alicuius uitam scribet, in hoc maxime elaborabit, ut eius mores exponat, qui sunt animi affectiones, quæ ipsius uitæ modū rationemq́; definiunt. Sic grauissimus auctor Plutarchus in Alexandri uita dumtaxat ea literis mandaturum se professus est, quæ ingenium illius & mores ostenderent. Quocirca mihi de moribus inprimis dicendum uidetur. Latini uno moris nomine appellarunt, & consuetudinem, quam greci ἔθος, & animi affectionem, quam illi ἦθος uocant. etsi hoc nomi-*
li.6.c.3. *ne Fabius Quintilianus sentit romanum sermonem carere, quod eo non tam mores, quam morum quædam proprietates significentur.*

inter-

interdum etiam modi notionem, vnde ducitur, mos habet, ut Pacię imponere morem. modus autem non solum mediocritatem, & terminum, ut Est modus in rebus, uerum etiam formam statum, & conditionem indicat: ut illa sunt, huius modi, cuius modi, illius modi. Ex quo animi affectiones, & qualitates, quas greci ποιότητας *dicunt, rite mores latini nominarunt. quandoquidem nostrarum actionum modus ab animo petitur. Sunt ergo mores (ut Aristoteles inquit: nec potiorem auctorem habeo, quem hæc in re sequar) animi affectiones, & qualitates, siue ad rem aliquam propensiones. Non enim mores in intellectu ponimus, cuius uis in sola rerum cognitione uersatur, sed in appetitu, quo ad declinandum aliquid, aut persequendum ciemur. Neque enim cum de alicuius moribus loquimur sagacem illum, aut sapientem, sed aut*

Aenei. 6

Horat. li. 1 Saty. 1.

Magn. moral. li. 1. c. 1.

mitem, aut temperantẽ dicimus: illæq; actiones solæ morales sunt, quæ sunt voluntariæ; eædemq́; humanæ uocantur. Quare poëtas eos reprehendit Aristoteles, apud quos fictarum personarum orationes moratæ non sunt: nempe in quibus non exprimitur, quid quisq; uelit, aut fugiat. διόπερ οὐκ ἔχουσιν ἦθος ἔνιοι τῶν λόγων; ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον, ὅ, τι προαιρεῖται, ἢ φεύγει ὁ λέγων. *Et mores quidem alij sunt naturales, & insiti, alij studio & usu comparati. Naturales primum intelligi uolo, qui ex ipsa corporis temperatione oriuntur. Equidem physicorum, & medicorum sententia ex quatuor humoribus siue qualitatibus constamus, sicut e quatuor principijs componimur sanguine, pituita, bili & melancholia: ac prout illarum quæque redundat, ita diuersi affectus generãtur. Nam cui plus sanguinis inest, hunc animosiorem uidemus, & hilariorem; cui uero melancholiæ, timidiorem, & tristiorem: at in quo prin-*

In Poetica.

ceps

ceps bilis existit, acrior is & iracundior fit; in quo vero pituita, obtusior redditur, & ita tardius cõmouetur. ob idque lenta ab Horatio nominatur. Hæc morum propietas, & dissimilitudo a natura est, nimirum a dissimili corporis temperatione, siue humorum, quibus corpus constituitur, uarietate. Quinetiam mores quosdã gignit generis, ac seminis stirps: utque fructus a seminis, sic a generis bonitate mores quidam commendantur.

li. 2. saty. 2. Aristot. Proble. sect. 30.

Fortes (inquit Horatius) creantur fortibus; & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Lib. 4. od. 4.

Catonum seueritas propria, in Graccis populare ingenium fuit. Præterea locorum natura (sicut Aristoteles ait) magnam facit morum differentiam. quippe homines montani, uti quoque bestiæ, ore sunt acriores, & lacertis

De Histo. Animal. lib. 1. c. 29.

In oratione cõtra Rullum. *certis neruisq́; robustiores. Et Cicero Ligures montanos duros, & agrestes dixit esse, Campanos fertilitate loci superbientes. Proinde bene temperatus aër quærendus est, cuius lenitas æque menti, ac corpori prodest. Atq; equidem mores barbaros præ se ferunt, qui in nimio, uel frigore, uel æstu degunt: & qui regionem aquilonalem incolunt ob magnitudinem aduentitij frigoris magis tepescentibus intimis corporis partibus candidi sunt, simplices & audaces; contra habitatores Australis sub calente cœlo nigri, uafri, &*

Aristot. Poli. 7. c. 7. *timidi. Omitto Astrologorum descriptiones, atque iudicia, qui refrigerantis Saturni stellam in australi, incendentis uero Martis in aquilonali, at temperantis Iouis sidus in intermedijs regionibus dominari asserunt: e quibus Itali præsertim humani, liberales, amabiles, & ad regendas ciuitates apti existunt. Hinc apud grecos in prouerbio fuit*

βίοι ἀνθρώπων, καὶ φυτῶν σπέρματα συνεξομοιοῦνται ταῖς χώραις.

Ad hæc ætatum, ſexuumq́; diſcrimina ſuos habent mores: fortunæ quoque conditio, & ſtudiorum, quaſi naturales quaſdam vitæ proprietates affert. quas omnes Ariſtoteles præ ceteris ſapientiſſime, & copioſiſſime perſecutus eſt. Rhetor. 2. *At ſtudio & conſuetudine creati mores habitus animi ſunt, aut virtute laudabiles, aut uitio uituperabiles. quorum tractatio eorum philoſophorum eſt, qui morales nuncupantur. Ac ſane ingenitum & naturale nobis uidetur (ſicut Fabius Quintilianus ſcribit) quod uſu & conſuetudine comparatur:* li.1.c.2. *tantaq́; eius uis eſt, ut naturam ſuperet, &, ſi praua ſit, a recto itinere abducat. & quemadmodum in loquendo uincit artem, in rep. ſancit, & delet leges, ſic in animo, & naturam ſæpe expugnat, & proprietates aufert & inſerit. Atque ob id potiſſime ſuarum actionum homo in ſe poſitam habet poteſtatē;*

quia

quia potest aliter assuescere, quam a natura institutus est. Nec vero cum naturales mores dico a rationis imperio seiungo, sed quod a natura magnam vim habeant, naturales dicuntur: atq; eatenus laudantur, quatenus vel virtutis habent aliquam significationem, vt mansuetudo, & pudor, vel ratione confirmantur, atque reguntur. Recte igitur Aristoteles inquit κακίᾳ καὶ ἀρετῇ τὰ ἤθη διαφέρουσι πάντες: *Ergo mores (vt philosophorum verbis vtar) & dispositiones animi sunt, & habitus, hoc est, permanentes qualitates, non quidem omnes, sed quibus appetitus bene, aut male ad rem quampiam conformatur. ex quo vitæ modus ratioq; desumitur. Ceterum mores, & oratione declarantur, & actione: siquidem oratio imago animi est, nec auari sermone alia de re, quam de pecunia sunt, & de voluptatibus intemperantis; atq; vt ex corporis motu temperationem eius dignoscimus,*

[Margin: in Poetica.]

[Margin: Ar.sto. Ethi. 4. cap. 18.]

sic

ſic ex his, quæ extra prodeunt, actionibus interiores animi mores affectioneſue conijcimus. Vnde Platonis illa ſententia plurimum a Cicerone laudata eſt, Qualis cuiuſq; animi affectus eſſet, talem eſſe hominem; qualis autem homo ipſe eſſet, talem eius eſſe orationem; orationi autem facta ſimilia. Quare ſi affectus animi laudabilis eſt, & vita laudabilis erit. Sed quoniam ſcriptori propoſitum eſt non fictis benefactorum documentis viuendi legem oſtendere, non ſcribet quorumuis, ſed illuſtrium virorum vitas. Sunt autem illuſtres, quos aut virtutis, quæ nobilitatis parens & alumna eſt, aut dignitatis ſplendor illuſtrat, quæ virtutis eſt ſocia et comes. In hos enim, vtpote ceterorum principes acrius intuemur, & illorum facta lubentius imitamur. Nam horum, qui nobis excellunt, mores imitandos ducimus. Verumtamen vt ea pictura vehementius mouet, quæ affectus animi verius effingit, ſic ea hiſtoria magis appro-

Tuſcul. 5.

bitur, quæ hominum mores melius exponit. Itaq; vt pictor in conformandis lineamentis oris, in quo motus animorum elucent, summam operam consumit, sic bonus scriptor in exprimendis animi moribus, e quibus vitæ ratio perspicitur, omne studium suum & diligentiam ponet. Primum igitur accurate personarum attributa considerabit, nationē, patriam, genus, parentes, corporis temperationē, studia, fortunas, amicitias, & his similia. Etenim cuiusq; nationis sui quidam sunt mores, vt immanes Germani, feroces Britāni, hebetes Pannones, leues Galli, arrogantes Hispani, mēdaces Greci, perfidi Pæni, molles Asiani quorundam voce produntur. Patriæ vero & situs est inspiciendus, & instituta: Nā cœli & loci naturam satis ad bonam corporis & animi temperationē conferre iā diximus; & a patria consuetudine argumentū capi cōsentientis omnium ingenij nemo dubitat. Hoc

nimi-

mirum est illud, quod olim Sybaritæ voluptates obiiciebant, quoniã luxuries apud Sybaritas nullo in vitio erat; contra Lacedæmoniũ ut virũ frugi commendabant, quoniã frugalitas apud Lacedæmonios virtuti dabatur: & ego virum perfectũ eum esse cum Platone existimo, qui inter ciues intẽperantes virtutẽ colat; quod non tantum natura sed consilio & uoluntate maxime studiosus sit. Atq; ut patriæ, sic etiam familiæ ratio habẽda est. Nam supra cõmonuimus esse quosdam generis cuiusque proprios mores, infusasq; & cõceptas qualitates; quibus eiusdem cognationis homines inter se similes sunt. tum uera nobilitas recte agendi necessitatẽ quandam imponit; ut turpissimum sit a maiorum uirtute & disciplina degenerare. tamen ut magnũ dedecus est parentum gloriam inquinare, sic (quod de se Cicero contra Salustium mirum in modum gloriatur) magna laus suo generi

nobilitatis initium afferre. Mox decet parẽtes respicere; qui & semine, & vita exemplo atq; instituto mores suos & naturam in filios infundunt, Verum qua ratione fiat, ut ex bonis parentibus raro boni filij procreentur, ignoro. Et quidem Homerus.

Odiss.2. παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται:
οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. *hoc est,*

Namq; equidem pauci similes sunt patribus orti:
Quin plures vitijs, quã qui virtute priores.

Post hæc corporis temperatio videnda, e qua proprietates quædam animorum existunt, verecundia & impudentia, audacia & metus, fortitudo & ignauia, comitas & seueritas, tũ ingeniorum acumen aut hebetatio; celeritas aut tarditas, vbertas aut exilitas; grauitas aut leuitas: in quibus ad capessendas bonas artes atq; virtutes magna vis est. Fingit quoq; corporis temperatio pulchritudinem; quam

nullum animal præter hominem sentit; quāq; Socrates & Plato vtpote mentis subiectam oculis dignitatem vehementer amarūt. Porro Virgilij sententia.

Gratior est pulchro veniēs in corpore virtus. AEneid. 5.

Amo autem pulchritudinem virilem, nōmuliebrem; quæ a Venere venustas aptius dicetur. De qua dicet Homerus καλὸν εἶδος ἔπ' ἀλλ' οὐκ ἔσι βίη φρεσὶν, οὐδέ τις ἀλκή. *hoc est.* Iliad. 3.

Pulchra, tamen sine consilio, sine robore, forma.

Quin etiam corporis bona valetudo ad res arduas & eximias necessaria est: qua male affectus Scipionis Africani filius patri similis esse non potuit. Ad hæc præceptores obseruandi, quî sunt alteri parentes, & studia, quibus ab ineunte ætate instructus fuerit.

Adeo (inquit Virgilius) in teneris consuescere magnum est. Gerg. 2.

Insuper amicitiæ, quas parit morum similitudo

do, affectionũ animi testes sunt. non secus principes viri quales ipsi sint, ex famulorum, quibus magis delectantur, ingenio cognoscuntur. Postremo fortunas perpẽdito, quarum copia propter uoluptatũ affluentiam permultos a uirtutis uia detorsit, inopia uero etiã plerosq; a magnorũ operum perfectione retardauit. Vniuersæ autem uitæ ratio, quæ in aliqua nominis celebritate ac uirtutis & dignitatis splẽdore uersatur, mihi triplex uidetur. Aut enim in contẽplatione rerũ, aut in ciuitatum gubernatione, aut in bellicis studijs posita est. quã quisq; uitam ut uel delegerit, uel exegerit. spectandũ est accuratissime. Prima quieta est & quia cœlitũ uitæ simillima uidetur, sapiẽte dignissima iudicatur: altera prudentiæ & iustitiæ præsidijs innixa ad tuendã humani cœtus coniunctionẽ refertur: tertia, quæ ad defendendum suorum incolumitatem & fortunas cõparatur, propter uarios & incpinatos

casus, ac uita multorum & maximorũ discri minum contemptione maiorem multitudini parit admirationem. Rerum uero gestarũ rationem præter locũ & tẽpus tria in uniuersũ complectuntur, occasio, facultas, & euentus. Nec dubium est, quin plerique, nisi occasio defuisset, inter alios multis modis, & titulis excelluissent. Quibusdam non occasio, sed aut uires, aut consilia & modus defuerunt. nam in facultate modus intelligitur: & in re difficiliori magis virtus ipsa splendescit. Sed frequenter hominum spes & consilia fefellerunt euentus: qui non in nostra potestate, sed in Dei voluntate collocati sunt. Vnde vir prudens consilia non ponderat euentis vt vulgus, sed ipsa prudentiæ regula metitur. Quare a se ipso sapientia sumenda, a Deo fortuna petenda est: quæ nisi diuinitus ad res egregias tanquam comes addatur, parum virtus per se ipsa valere videtur.

Est

Est autem mihi fortuna cœlestis quædam aura in his rebus, quæ extra nos positæ sunt, secũda, vel aduersa; cuius nulla ratio a nobis reddi potest; non Dea, ut ille ait Poëta, cœlo a stultis hominibus locata. Sed & Ciceronis consi-
in partitionibus *lium hac in re sequi placet, ut seruata bonorũ distributione animi, corporis, & fortunæ, illorum, quæ extra animum sunt, usus consideretur; uirtutes uero, quæ animi perfectiones sũt per se ipsæ laudẽtur. Earũ duæ præstantissimæ sunt, quæ in conseruãda hominum cõmunione uersantur, iustitia & bellica fortitudo: illa ius suum unicuiq; tribuendo humanam societatẽ munifice tuetur; hæc depellendo quæ ab hostibus pericula impendent facit, ut ciues in pace otio & quiete fruantur. Vtriusq; moderatrix prudentia est omnium regina virtutum. Hoc loco de uirtute forte quispiam dissereret, sed in alienam segetem (ut dici solet) falcem immitteret: de una tamen uirtute pauca ipse dixerim, quæ totius humanæ uitæ fundamentũ*

&

& norma est. Hæc est religio, quæ homines inter se conciliat, leges sancit, resp. conseruat. quæ quoniam varia fuit, varia quoque vitæ instituta & mores inter homines induxit. Sed certe nulla vera est, nisi ea, quã Christus Dei & hominis filius enuntiauit. Ea gentium errores euulsit, ac veros sensus inseruit, & tum mala correxit, tum bona in veri Dei cultum transferendo perfecit. Igitur peruerse agit, qui Christi religionem professus contra Christi præcepta & fidem it: & Carolus V. Imp. maiore laude dignus est, quod multa religionis causa attentare neglexerit, quæ alioqui nõ solum recte, sed etiam gloriose fecisset. Tanta religionis vis est, sine qua nulla vitæ instituta probantur. Satis multam congessisse scriptori materiam Auditores censemus; sed quo illa ordine digerenda sit, videndum modo est. Et quidam ætatum gradus, vt Plutarchus, quidam generum distributionem persequuntur

tur

tur, ut Suëtonius, qui dicta & factà in quadam capita coniecit, unde mores eius, cuius
in Par. *uitam scribebat, melius cernerentur. Quam dispositionis duplicem formam Cicero quoq; in demonstratiuo genere teneri docuit. Porro si per ætatum gradus historiam deducimus, etiam spectare oportet, si quid ante vitæ ortum contigerit; cuiusmodi sunt ea, quæ dormientium visis significantur; sicut B. Dominici matris viso, quo canem edere sibi videbatur facem ore tenentem, qua vniuersus terrarum orbis illustraretur, filij præstantia in diuinæ legis promulgatione præmonstrabatur. Et de Hecuba ferunt, quod dum Paridẽ vtero ferret, in quo regni excidij causa fuit, flammam nocte quadam parere somniauit, cuius ardore tota Asia conflagraret. Cum visis etiã uatum oracula tanquam uitæ certissima testimonia producũtur. quibus de aduentu Christi pleni sunt rerum sacrarum libri. Tum si*

quid

quid in ipso ortu notatu dignũ acciderit, mini me silentio prætermittendum: vt in natali die B. Ioannis Bapt. lætitia, quæ adeo cognatos & vicinos affecit. Quin modum, quo Esau, et Iacob nati sunt, scriptura notauit. Dein infanti si quid admirandũ euenerit non debet scriptoris animaduersionẽ effugere. Nam hæ res pro futuræ vitæ non uanis argumentis habentur. D. Ambrosio in cunis paruulo dormienti apes fauum in labellis finxerunt. magnum eloquentiæ signum. Similis fama celebratur de Platone, qui copia dicẽdi & grauitate omnes facile superauit. Moyses adhuc uagiens in fluuium proiectus, & diuina ope seruatus est. Ea res clarum præclaræ virtutis & gloriæ signum dedit. Idem fere de Romulo & Remulo scribunt historici, qui urbem Romam condiderunt illustrissimum orbis terrarum monimentum. Adhæc in ipsis pueris sæpe quædam uirtutum semina,

& vitiorum igniculi apparent: e quibus quales futuri sint augurari quodammodo possumus. Hac de causa tot de puero Cyro Xenofon, tot de Alexandro rerum scriptores commemorarunt; qui magnitudine rerum gestarum omnium consensu magni nomen obtinuit. Vt autem homo rationis compos factus est, animaduertendum quomodo naturales affectiones aut bonas confirmauerit, aut malas rexerit, hoc est, quomodo seipsum vicerit; ac quibus artibus & virtutibus vitam ipsam excoluerit, videndum. Ipse autem uitæ cursus ut confectus, ita narrandus est: dicendumq; ordine quid, quo modo, quo tempore, quo loco, quo euentu actum sit: & si quid illi præter naturæ leges rarum & admirandum contigerit notãdum. Non leuia persequemur, nec in minimis rebus immorabimur, sed ea dicemus, quæ aliquod uitæ documentum allatura putamus. Doceanturq; homines in

omni

omni fortuna constantem animum tenere, nec in secundis rebus se efferre, nec in aduersis demittere: ac nullam esse ignominiã, quæ a turpitudine non proficiscatur, nec laudem vllam quæ non ab honestatis fonte emanet. Demum mortis genus, & siquid etiam post mortem obuenerit, quod rem aliquam grauẽ portenderit, debemus aduertere. cuiusmodi multa in Christi morte, quæ nobis salutẽ & vitam attulit, diuinitus acciderunt. Par etiã est dicta referri, quæ affectiones animi declarant. Non ne illa verba Alexandri, quæ ad Achillis tumulum in Sigæo dixit (sunt autem apud Ciceronẽ) O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis præconem Homerum inueneris, desiderium ostendunt, quo ardebat prudentem & grauem aliquem suarum rerum scriptorem habere? & Cæsar præteriens castellum quoddam paruum in syluestribus locis situm, cum interrogatus an illic quoque

In oratione pro Archia.

ambitio esset, respondit malle se primum illic esse, quam Romæ secundum, quantam obsecro regnandi cupiditatem indicauit? Nec argute & sententiosæ dicta (ἀποφθέγματα greci uocant) negligi decet: quæ non paruam cum delectatione coniunctam habent vtilitatem. Verum enimuero ad exornandam historiam descriptiones rerum, et ab ipsa re, sed ad rem ipsam pertinentes digressiones plurimum valent: quibus & apte vtendum est, & modice, non solum delectandi lectoris, sed etiam illustrandæ rei gratia: ad quod pariter faciunt cohortationes & conciones. Sed tamen eæ digressiones mihi valde placent, in quibus de moribus & vita disputatur: quas Plutarchus in suis vitis multas sapienter intexuit. Licet item scriptori quid in re dubia sentiat interdum significare: & si quod factum excellentius narrat, arguta quadam sententia distinguere; & quid imitatione dignum sit

breuiter admonere. Verum adsit vbiq; modus, quo decoro seruitur. cuius ignoratio nos in multos & graues errores impellit. Primum autem omnium veritati cõsulat, sicut iubet sacrosancta historiæ lex; vt ne rem vllam falsam pro vera pronũtiet, neu plus æquo amplificet, vel attenuet aut inuidus, aut adulator. Non enim se poëtam, idest, rerum fictorem, neq; oratorem, idest, amplificatorem, sed hystoricum, hoc est veritatis cultorem profitetur. Aliena uero inserere hominis est imprudentis & ignari, nec quid rei conueniat intelligentis. Quid enim ad vitam Caroli V. Imperato. bella, quæ Selim pater, aut Solimãnus filius contra Persas gessit; cum res illius nihil attingant? Iam quia scriptori non solum uidendum est, quid & quo loco; sed quibus etiam uerbis dicat, teneat dicendi genus medium, & temperatum, faciatq;

ora-

orationem breuem, lucidam, & ornatam: quam cum omnes intelligant, tum eruditi homines commendent. Nec ignoret (sunt enim historiæ partes duæ, Principium, et narratio) esse libera exordia, captariq; in illis præcipue docilitatem & attentionem: narrationem uero amare breuitatem, & perspicuitatem aliqua suauitate conditam. Sed quia de historiæ partibus & orationis genere satis multa dixi in eo libello, quem de scribenda historia composui, longior hic esse præsertim in hac temporis angustia non curo. Vnũ addam, quod ad studium lectoris pertinet, uidelicet historiarum lectionem non tantum ad iudicia ueteris memoriæ cognoscenda; quã rem Cicero dicit esse curiosorum; sed ad imitandos summos uiros spectare; quod ingeniosorum, et prudẽtum hominũ est. Hæc est Auditores scribẽdi uirorũ illustriũ uitas quæ

De Fini. 5.

se

se nobis obiecit figura, a Platone dicta Idea: quam satis scimus non ita, ut animo se obtulerat, expressisse, sed qua potuimus, facultate adumbrauimus. Optemus ut quemadmodum ætas nostra omni genere uirtutis & doctrinæ præstantes uiros producit, sic etiã bonos & elegantes scriptores ferat, qui clarorum hominum uitas æternitatis memoriæ commendent.

FINIS.



I



II



III



IV



V

